



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. I. An & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

matrimonium contraxit, & consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum, cum eatenus votum ad huc sit possibile (reddere enim debet) *v. Ben. p. 7. §. 1.*

V. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum in eo sit principale, reliqua verò accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter à priori, tanquam illius appendices & modi, tunc si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra; ut v. g. voti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certialiquid offerre, si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris ciliciū ferre, & oblationē mittere, *v. Sanchez. l. 4. c. 10. Bon. d. 4. q. 2. p. 4. §. 4. Trul. l. 2. c. 1. d. 10.*

DUBIUM I.

De voti irritatione.

ARTICULUS I.

An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?

Resp. Cum non debeat violari cujusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc si potestati dominativæ alterius sit subiecta alicujus voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacumque sint, ad suum libitum, sine ulla causa, valide irritare directè, hoc est, potest velle & pronunciare, ut illa vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (et si peccent, si absque causa irritent, ut docet *Less. l. 2. c. 40. n. 75. Nav. Suar. Fill.*) Porrò hoc jus provenit ex jure positivo, quo datur alicui legitima potestas de-

dominativa in voluntatē alterius. Ita communiter DD. v. *Sanch. l. 4. c. 24. n. 30. & 31.* Unde resolves.

I. Quis pater, & in ejus defectu, avus paternus, tutor imò etiam mater, nō tantum si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu; & secundum quosdam, reliquis deficientibus etiā magister, vel herus, ut *Suar. Less. d. 10 n. 78.* contra *Sanch.* potest directè irritare vota liberorum impuberum: ut colligitur ex *cap. Mulier 32. q. 2. c. 1. & 2. 20. q. 1. & ca. Si quis de reg.* Impubertas autem secundum jura finitur in masculis, anno decimo quarto completo, in foeminis duodecimo completo, à die nativitatis computando, ut *Sanch. l. c. v. Laym. t. 4. c. 2. Bon. di. 4. q. 2. p. 6. §. 2.*

II. Vota religiosorum (non tamen novitiorum) etiam sub prædecessoribus emissā, irritare possunt, directè præter Papam, Abbates, Guardiani, Priores & Rectores, ac probabiliter etiam Abbatissæ, ut habet *Suar. l. 6. de voto c. 7. num. 19. Regin. l. 18. n. 342. Fill. Bon. l. c. n. 26.* Excipitur tamen votum transeundi ad religionem strictiorem. v. *Binsfeld. 3. p. Ench. c. 9. Less. n. 75. Sanch. 6. 24. num. 30. Bon. l. 5.*

III. Idem potest, secundum *Sanch. lib. 9. de matr. d. 39.* maritus respectu votorum uxoris: licet probabilius id alii limitent ad ea vota, quæ mariti juri præjudicant. *Lay. hic. c. 7. Fill. tr. 26. c. 8. q. 8. Less. d. 10. n. 83. & d. 15.*

IV. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non idèo revalidatur, ut *v. Sa. V. Irritatio voti.*

V. Nullus supradictorum potest directè irritare vota emissā ante subjectionē: v. g. ante matrimo-
ni-

nium: facta verò intra tempus subjectionis, de re implenda post tēpus subjectionis, v. g. in pubertate, vel post obitum mariti, possunt irritare. *Bon. l. c.*

VI. Votum, de quo dubium est, utrum emiserit tempore libertatis, an subjectionis, non posse irritare superiorem, docet *Salas. l. 2. q. 21.* & *Caram. l. 3. cap. 1. d. 1.* Sed contrarium tenet *Suar. Sanchez. Bon. & c. cum Bardi. d. 6. c. 1. §. 28.*

VII. Facta tempore subjectionis, possunt adhuc irritari post illud; v. g. quando filius jam est puber. Quod verum est, etsi in pubertate ea ratificasset, putans ex errore esse firma: secus tamen, si infirma esse novisset, & independenter à prioribus ratificasset. *v. Less. l. 2. c. 40. d. 10.*

VIII. Supradicti possunt revocare, ac directè irritare vota, etsi semel ea ratificaverint: quia non privarunt se dominio & potestate sua. *v. Suar. de voto l. 6. c. 6.* Quod si tamen id sine causa fiat, erit secundum quosdam peccatum mortale: licet probabilius id neget *Suar. l. c. c. 4.* & *Laym. hic.*

IX. Prælati potest irritare votū subditi, à prædecesore æquali, vel inferiore, confirmatum; non tamen à superiore. *v. de his Bon. l. c. §. 3. Laym. c. 7.*

ARTICULUS II.

Quis vota indirectè irritare possit?

Resp. Si alicui, non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subjecta, ita ut in hanc jus habeat, is tale votum potest irritare, irritatione indirecta; hoc est ejus obligationem suspendere; in quantum suo juri præjudicatur: idq; ex lege naturæ docente, quòd nemo possit alteri promittere ali-

quid